

Antiqui ritus Elevationis vestigium remanet in quibusdam regionibus, nempe in Gallia, et etiam apud nos, consuetudo pulsandi campanulam, cum Sacerdos elevat parum Hostiam et Calicem; hoc autem a Rubrica Missalis non prescribitur. (Cfr. Tractatus de celebratione SS. Missæ Sacrificii, Q. 242, Nota.)

II. Hæc Elevatio primitus facta fuit per totum tempus quo dicebantur verba: *Per ipsum.... honor et gloria*; et in Sacramentariis aut codicibus ante sæculi IX finem scriptis nullum Crucis signum notatur nec prescribitur. Sed ut præclarus exprimeretur quod idem Jesus Christus elevatur qui in Cruce fuit immolatus, a sæculo IX fuit introductus usus faciendi signum Crucis cum Hostia super Calicem Sanguinis; unde necessario repositus tenebatur Calix super Altare ad primam partem Doxologiæ, et tantum fuit elevatus cum Hostia, post signa Crucis facta, ad verba: *omnis honor et gloria*, ut quod ore exprimitur, actione simul symbolice demonstretur.

Signum Crucis nunc fit ad nomen singulæ ex Personis SS. Trinitatis, sed propter trinam prolationem pronominis Christum designantis, ter fit signum cum Filius nominatur; insuper ad nomen Filii, cuius pretiosissimus Sanguis in Calice continetur, signa Crucis fiunt super Calicem; ad nomina vero Patris et Spiritus sancti, deficiente hac ratione, fiunt extra Calicem, inter Calicem scilicet et pectus Celebrantis.

Q. 183. Qua voce dicuntur ultima verba conclusionis Canonis, et quare?

R. Sacerdos, qui totum Canonem submissa voce recitavit (cfr. Q. 162, I), ultima verba conclusionis, scilicet: *Per omnia sæcula sæculorum*, elata voce, et in Missis cantatis in cantu profert, ita populum adstantem quasi invitans, ut consensu suo ea confirmet, quæ omnium nomine Sacerdos in Canone ad honorem et gloriam Dei effatus est, et etiam postulavit; qui consensus a populo, vel populi nomine exprimitur verbo *Amen*, eadem elata voce, vel in cantu dicto.

CAPUT X

DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM

Q. 184. Exponere quare, et quomodo Oratio Dominica dicitur in Missa.

R. Finito Canone per verba: *Per omnia sæcula sæculorum. Amen*, incipit præparatio ad Communionem.

I. Præponitur sanctissima, pulcherrima, necnon efficacissima omnium orationum, Oratio videlicet Dominica; hæc ex institutione Apostolorum in Missa dicitur, et in omnibus Liturgiis reperitur ante vel post fractiōnem S. Hostiæ; S. Gregorius Magnus statuit ipsam in Liturgia Romana dici immediate post Canonem, ante fractionem; in quibusdam Liturgiis solebat dici ab omni populo; in Romana dicitur vel cantatur a solo Sacerdote, sed ut populus suam in ejus recitatione partem habeat, Minister vel Chorus dicit vel cantat ultimam petitionem: *Sed libera nos a malo*.

II. Præmissa ordinaria invitatione ad orandum, verbo: *Oremus*, ante ipsam Orationem a primis temporibus ponitur breve quoddam pium exordium, seu devota præfatiuncula, in qua Sacerdos in spiritu humilitatis protestatur, se, nisi ipse Christus Dominus monitis, præceptisque fiduciam addidisset, non ausurum fuisse Deo dicere: *Pater noster*. Formula præfatiunculæ quam hodie dicimus: *Præceptis salutaribus.... audemus dicere*, jam nota erat tempore S. Cypriani († 258).

III. In fine Dominicæ Orationis Sacerdos dicit: *Amen*, submissa voce: non hanc omittit, quia apud Evangelistam clauditur Oratio hac voce *Amen*; sed submissa dicit voce fortasse ob eam rationem, quia ultimæ petitionis continuatio quædam est Oratio: *Libera nos, etc.*, quæ proxime sequitur.

Q. 185. Da rationem Orationis: *Libera nos etc.*, quæ dicitur post Orationem Dominicam.

R. Oratio *Libera nos, etc.*, non est nisi fusior repetitio,

seu expositio ultimæ petitionis Orationis Dominicæ : *Sed libera nos a malo*; quia in ea diserte nominamus mala a quibus petimus liberari, vocatur a Liturgistis *Embolismus* = insertio, intercalatio.

Per eam imploramus : 1º liberationem ab omnibus malis, nempe *præteritis*, quæ sunt peccata, quorum reatus remanet ; — *præsentibus*, quæ sunt variæ tentationes quotidianæ, quibus ad peccandum impellimur ; — *et futuris*, quæ sunt poenæ peccatis debitæ, sive temporales, sive æternæ ; 2º intercessione Sanctorum, pacem, mentis scilicet et corporis : *ut a peccato simus semper liberi*, quæ est interna pax cum Deo ; *et ab omni perturbatione securi*, quæ est pax externa, temporalis.

Suffragium in hunc finem imploratur Beatæ Mariæ Virginis, et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, atque Andreæ, et omnium Sanctorum ; S. Andreas nominatur cum S. Petro, quia primus ad Apostolatus honorem vocatus fuit, et quia ipsum uti germanum Petri speciali semper honore coluit sancta Romana Ecclesia.

Primitus dicebatur alta voce hæc Oratio, quod usque hodie observatur in ritu Ambrosiano ; antiqui Romani ritus vestigium forsan remanet, quod in Feria VI, in Paracese, præscribitur dicenda eadem voce qua cantata fuit Oratio Dominicæ, in tono Orationis Missæ ferialis. S. Gregorius Magnus constituit ut regulariter secreto diceretur.

Oratio terminatur majori conclusione : *Per eundem Dominum nostrum*, etc., cuius ultima verba : *Per omnia sæcula sæculorum*, dicuntur alta voce, aut in cantu, ut populus consensum dictis dare, et exauditionis votum exprimere queat voce *Amen*. De hac conclusione dicetur in responso ad Quæstiōnem sequentem.

NOTA. Dictum fuit supra (Q. 184, 1), quod S. Gregorius Magnus statuit Orationem Dominicam dici ante fractionem panis, primitus vero ipsam fuisse dictam post hanc fractionem. — Videtur quod Doxologia *Per ipsum*, etc. (de qua supra, Q. 181), sit conclusio Orationis quæ olim dicebatur ad fractionem. (Cfr. Cabrol, in opere ibi citato, ad Notam pag. 112.) Hodie fractio panis fit in conclusione Embolismi Orationis Dominicæ, omissa Oratione propria fractionis.

Q. 186. *Quid notandum est de ritu fractionis S. Hostiæ?*

R. NOTA. Cæremoniæ observandæ ad fractionem S. Hostiæ explicantur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii (QQ. 245-247) ; hic solummodo quædam de hoc ritu notantur ad ejus intelligentiam.

I. Præparatio pro fractione S. Hostiæ jam incipit dum dicitur Oratio *Libera nos*, etc., de qua supra dictum fuit : etenim paratur tunc patena super quam fractæ Hostiæ partes erunt deponendæ ; cum patena Sacerdos sibi signum Crucis ducit ad verba : *da propitius pacem in diebus nostris*, denotans per Crucem Christi pacem animabus nostris acquisitam fuisse ; et osculatur patenam, tum quasi per hoc osculum petens a Deo pacem, tum ex tenerrimo affectu erga Corpus Christi, Principis pacis, mox in ea collocandi.

Dum dicitur conclusio hujus Orationis, fit Sacræ Hostiæ fractio in tres partes ; fit super Calicem, ne forte minutæ particulæ spargantur, sed in ejus concavitate caute recipientur.

Dum alta voce dicit verba ultima conclusionis : *Per omnia sæcula sæculorum*, ut in Quæstiōne præcedenti notatum fuit, Sacerdos particulam Sacræ Hostiæ tenet super Calicem ; deinde salutat populum verbis : *Pax Domini sit semper vobiscum*, interea tria Crucis signa cum particula formans super Calicem, populum ita quasi trina vice benedicens, eique appræcans pacem, quam Christus per Sacrificium Crucis mundo attulit.

II. Ritus iste ab ipsa institutione Sacramenti exordium dicitur : ipse Christus enim in coena accepit panem, et benedixit, ac *fregit* ; quem morem Apostoli secuti sunt, et Ecclesiæ tradiderunt : in Actis Apostolorum legimus quod die Dominicæ fideles convenerunt *ad frangendum panem* (Cap. XX, §. 7) ; quod erant perseverantes in *communicatione fractionis panis* (Cap. II, §. 42) ; et Apostolus, in I ad Corinthios, scribit : *Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* (Cap. X, §. 16.) Nulla Liturgia est in qua Hostiæ fractio non fuerit a primis temporibus præscripta.

III. Fractionis S. Hostiæ variæ sunt significations mysticæ et symbolicæ ; refertur etiam hic ritus ad mox

secuturam Sacri Corporis Christi distributionem, est que ad hanc præparatio.

Semper et ubique immissa fuit in Calicem particula S. Hostiæ confractæ; de quo ritu dicetur in Quæstione sequenti.

Reliquas duas partes hodie sumit Celebrans; sed primis sæculis non ita semper fuit factitatum: unam tunc sumebat Celebrans; altera vero, quia qui consecrabatur panis major erat, et latior quam quo nunc utimur, in plures frangebatur particulas, ad diversos quidem usus: — particulae distribuebantur ad communicandum adstantes fideles, et etiam reservabantur pro infirmis communicandis; — sed præterea in Romana Liturgia particula specialis, quæ vocabatur *Sancta*, reservabatur usque ad sequens Sacrificium, in quo ad *Pax Domini* mittebatur hæc in Calicem; ut ita Sacrificii unitas et perpetuitas significaretur; — insuper, usque ad sæculum IX, Romæ et aliis in locis Romani ritus, Papa, aut Episcopi, mittebant solemnibus quibusdam diebus, particulam ad quosdam Episcopos, aut Presbyteros ex suis immediate subditis, quæ particula vocabatur *fermentum*, quamque isti sumebant in Sacrificio quod celebrabant; quo ritu significabatur communio seu communitas membrorum cum capite, subditorum quem superiore, unitas in fide et in disciplina.

Antiquæ disciplinæ, juxta quam ex *eadem* Hostia Sacrificii Celebrans communicabat se et adstantes, etiamnum remanet vestigium in Consecratione Electi in Episcopum: in Missa quæ tunc celebratur, Consecratus dicit et facit omnia simul cum Consecratore; ad Communionem Consecrator sumit unam partem S. Hostiæ, et altera Episcopum consecratum communicat; — item in Missa solempni quam celebrat Summus Pontifex, S. Hostiam ipse dividit in tres partes, quarum unam immittit in Calicem, aliam ipse sumit, et tertiam in duas dividit particulas ad communicandum Diaconum et Subdiaconum Missæ.

Ex dictis patet, quod iste ritus fractionis S. Hostiæ, antiquitus summam attentionem et devotissimam diligentiam requirerat; unde intelligi potest, quare in Ordinatione Presbyteri Pontifex in fine Neo-Presbyteros admonet, ut diligenter Hostiæ consecrationem, ac fractionem, et communionem discant; quia res, quam tractaturi sunt, satis periculosa est.

Q. 187. *Explica Orationem quæ dicitur cum Particula Sacrae Hostiæ immittitur in Calicem.*

R. Oratio quæ tunc dicitur sequens est: *Hæc commixtio, et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.*

I. Antiquissima est, et in omnibus Liturgiis reperitur hæc commixtio, et quidem in Liturgia Romana duplex particula S. Hostiæ immittebatur in Calicem; una, quæ vocabatur *Sancta*, præcedentis Sacrificii, ut dictum fuit in responso ad Quæstionem præcedentem (III), quod observatum fuit usque ad sæculum IX; altera, præsentis Sacrificii, de qua nunc quæstio est. Oratio autem ad hanc commixtionem non eadem semper fuit; et in Sacramentario Gregoriano nondum occurrit vox *consecratio*; a sæculo tamen IX, Oratio qualiter eam nunc dicimus, jam occurrit in monumentis Liturgicis.

II. Vox *commixtio* referri debet ad species panis et vini, quibus continetur Corpus et Sanguis Domini.

Altera vox *consecratio* difficilius explicatur: juxta quosdam sumenda sunt hæc verba, non in abstracto, sed in concreto, quasi diceretur: *hoc commixtum et consecratum fiat etc.*

Cardinalis Bellarminus († 1621) vocem ita explicat: « Neque habet aliquid incommodi ea vox, si bene intelligatur; non enim petimus, ut nunc fiat consecratio, sed consecratio antea facta sit nobis ad vitam æternam salutaris. (*De Missa*, Lib. II, Cap. 27.)

Significatur autem per illam commixtionem Resurrectione Domini,.... nam in Resurrectione iterum Caro Domini cum Sanguine suo conjuncta fuit. (Idem, eodem loco.)

Commixtio et consecratio dicuntur fieri in nostram salutem, non quod ipsa actio commiscendi et consecrandi nos salvet, sed quia res ipsæ commixtæ et consecratae, dum a nobis devote suscipiuntur, multum prosunt ad salutem, unde hic dicimus: *fiat accipientibus nobis in vitam æternam.* » (Idem, eodem loco.)

In Sacramentario Gregoriano petitur ut sancta commixtio « fiat omnibus sumentibus salus mentis et corporis, atque ad vitam æternam promerendam præparatio salutaris. »

Q. 188. Quare institutus fuit ritus dandi pacem? Quæ Orationes ad istum ritum pertinent? Quomodo olim dabatur pax, quomodo datur hodie?

R. I. Ritus dandi pacem, ab ipsis Apostolis originem ducens, et in omnibus Liturgiis præscriptus, institutus fuit tamquam præparatio ad securam Communionem: Ecclesia intendit hoc ritu fideles tum Deo, tum sibi invicem charitatis et pacis vinculo unire, ut cum fructu et digne percipient Communionem; est enim Sacramentum hoc unitatis et pacis.

II. Primum ter dicitur Oratio: *Agnus Dei, etc.*; S. Sergius I, Pontifex Maximus († 701), statuit, ut tempore commixtionis Corporis et Sanguinis Domini a clero et populo hæc Oratio recitaretur; et primitus tribus vicibus terminabatur verbis *miserere nobis*; sed sæculo XI, ob multas hoc tempore ingruentes Ecclesiæ adversitates, statutum fuit ut tertia vice adderetur: *dona nobis pacem*, loco: *miserere nobis*. Sacerdos sibi pectus percutit, cum dicit *miserere nobis*, et *dona nobis pacem*.

Deinde dicitur Oratio: *Domine Jesu Christe, qui dixisti etc.*; quæ vocatur *Oratio ad pacem*, *Oratio pro pace*; hæc antiqua non est, nam in codicibus sæculi XI nondum reperitur.

III. Dicta Oratione, Sacerdos primo pacem ipse quasi accipit ab Ipso Principe pacis, Christo Domino, et ideo devote osculatur Altare, quod est Christi figura, et in quo Christus realiter præsens est. — Sæculo XII, alii Sacram Hostiam, alii Calicem, alii Corporale osculabantur; tandem mos Altare osculandi, qui Romæ jugiter viguit, ubique receptus est, et hodie etiam præscribitur.

Deinde Sacerdos dat pacem Diacono, qui eam communicat reliquis per ordinem; qui dat pacem, dicit: *Pax tecum*; qui eam accipit, respondet: *Et cum spiritu tuo*.

Olim, a primordiis quidem Ecclesiæ, solebat pax dari per osculum, juxta illud Apostoli: *Salutate invicem in osculo sancto* (ad Romanos, Cap, XVI, §. 16, et aliis locis), et juxta quod referunt multi Sancti Patres, et præscribunt omnes antiquæ Liturgiæ. Sed, imminuta sensim veteri animorum morumque simplicitate, su-

blatum fuit sæculo XIII osculum oris, et ejus loco invalidit mos dandi pacem, vel per amplexum, pro clero; vel, pro laicis, mediante instrumento pacis, quod Sacerdos post Altaris osculum osculatur, et quod ipsis ad osculum præbetur. (Cfr. Ritus celebrandi Missam, Tit. X, n. 3.)

Hoc instrumentum pacis est parva quædam tabella ex metallo, in qua sculpta, vel depicta est imago, vel B. Mariæ V., vel alicujus Sancti, vel plerumque et proprius Christi Crucifixi; vocatur Osculatorium, Pacificale, Tabula pacis.

Hodie, ut dictum fuit, clero datur pax per amplexum, in iis Missis solemnibus in quibus pax datur; in Missa privata, Episcopo in Missa præsenti datur per instrumentum pacis; reliquis pax eodem modo dari potest, communiter tamen non solet dari.

Q. 189. In quibus Missis omittitur ritus dandi pacem?

R. 1º In Missis de Requiem; quia Sacrificium tunc offertur non tam pro præsenti pace, quam pro requie mortuorum; et quia lætitia, cuius pacis ritus est indicium, his Missis minime congruit.

Ideo Oratio *Agnus Dei, etc.*, dicitur quidem, sed non: *miserere nobis*, neque: *dona nobis pacem*; quorum loco dicitur ter: *dona eis requiem*, et in tertio additur: *semper paternam*; et Sacerdos non percutit sibi pectus. Oratio pro pace: *Domine Jesu Christe, qui dixisti etc.*, semper omittitur.

2º In Missa Feriæ V, in Cœna Domini, dicitur: *Agnus Dei, etc.*, ut consueto, et dicitur Oratio pro pace; sed pacis osculum, seu amplexus non datur; ita Ecclesia declarare intendit exscrari se fraudulentum proditoris Judæ osculum, qui hac die osculo Magistrum suum tradidit.

3º In Missa Sabbati sancti omittitur Oratio: *Agnus Dei, etc.*, dicitur vero Oratio pro pace; pax tamen non datur; vel quia pacis osculum reservatur pro die ipsa Resurrectionis, in qua Christus discipulis suis apparuit, eos salutans verbis: *Pax vobis*; vel, juxta quosdam, quia Missa hæc censetur celebrari nocte, et ex antiqua consuetudine, quoties Sacrificium noctis tem-

pore celebribatur, pacis osculum omittebatur, ad confusione vitandam.

Q. 190. Quæ notanda sunt de diversis actionibus quæ peraguntur, et de diversis Orationibus quæ dicuntur ad Communionem Sacerdotis?

R. I. Incompertum est quid primis Ecclesiae sæculis præcise fuerit præscriptum pro ritu ipsius Communio-nis, et speciatim quid cautum fuerit, ne in Patena, aut Corporali quid de Corpore, vel in Calice de Sanguine restaret reliquiarum; de Calicis purificatione, et de digitorum ablutione agitur primum in monumentis sæculi XI; et primitus quidem hæc effundebatur in locum mundum, in piscinam Altari propinquam; postea tamen, ob reverentiam Sacramenti, et propter periculum ne quid fragmentorum digitis, aut guttularum Sanguinis Calici adhuc adhæreret, Sacerdos ipse sumpsit aquam et vinum ablutionis.

De actionibus in Communione et quæ ipsam sequuntur peragendis, explicatio datur in Tractatu de celebratione SS. Missæ Sacrificii (QQ. 249-257).

II. Item de Orationibus quæ dicuntur, notatur, quod non ex antiqua Summorum Pontificum institutione recitabantur, sed ex privata piorum et religiosorum Sacerdotum celebrantium traditione.

Sacramentarium Gelasianum nihil speciale notat de Communione. Gregorianum assignat tantum duas ad Communionem Orationes, quarum altera est quam nunc primo loco (post Orationem pro pace) dicimus: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, etc.*; postea in diversis codicibus et Missalibus sæculi XI, cœperunt assignari illæ quas hodie dicimus, cum non parva tamen diversitate.

Commune omnibus, una excepta, quas hodie dicimus est, quod 1º in singulari numero dicuntur, et applicantur ipsi soli Sacerdoti; ex quo deducitur ipsas solum dici cœpisse, cum jam regularis adstantium in Sacrificio Communio in desuetudinem abierat; — 2º quod diriguntur ad Filium; cuius motivum quidem admetti potest, quod in Ipsum jam mens Sacerdotis tota defixa est; sed priorum sæculorum hic usus non est.

Ex iis Orationibus quæ in usu erant inde a sæculo XI, usque ad ætatem Concilii Tridentini, selegit et statuit S. Pius V, in reformatione Missalis anni 1570, quas hodie dicimus; quæ pietatis et gratitudinis affectu abundant, et ex quibus simul innotescunt rationes actionum quæ in Communione, et post Communionem peraguntur, ut explicatur in Quæstione sequenti.

Q. 191. Explica diversas preces quæ ad Communionem dicuntur.

R. I. *Domine Jesu Christe, Fili Dei etc., et Perceptio Corporis tui, etc.* Hæ duæ Orationes dicuntur tamquam ultima præparatio ad Communionem; his Sacerdos implorat puritatem, gratiamque dignæ Communionis, ejusque salutarem efficaciam.

II. *Panem cœlestem accipiam, etc.* Hæ verba partim e Scriptura desumpta (Ps. CXV, v. 4), designant famem, et fervens desiderium hujus cœlestis panis.

III. *Domine, non sum dignus, etc.* Origenes († 254) meminit consuetudinem fidelium sui temporis recitandi hæc verba ad Communionem. Sacerdos ita se parat verbis centurionis ab ipso Christo laudatis (Matthæus, Cap. VIII, v. 8); humilitate, reverentia, fide, fiducia-que redundant hæc, ter ideo repetuntur, et simul concurrit actionis compunctio, corporis nempe inclinatio-ne et pectoris percussione.

Cum Sacerdos pro seipso tantum oret, hæc verba sicut reliqua dicit secreto, prioribus tamen exceptis, quæ mediocri voce profert, quasi non velit celare coram fidelibus suam indignitatem; vel ad populi attentionem excitandam.

IV. *Corpus Domini nostri etc.* Interea dum hoc dicit, Sacerdos cum S. Hostia facit super se signum Crucis, ut hac benedictione gratias ad instantem Communionem consequatur.

Quidam codices tradunt formulam communem pro utraque specie, ex. gr.: « *Corpus et Sanguis D. N. J. C. sit mihi ad salutem, et ad remedium animæ meæ in vitam æternam. Amen.* » Hujusmodi communem formulam: *Corpus et Sanguis etc.*, hodie etiam dicunt Fra-tres Prædicatores.

V. *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Recte in ea verba Psalmi (CXV, v. 12) magno affectu erumpit Sacerdos, quia hoc Sacramentum est summum bonum, in quo omnia bona continentur.

Et postea, Calicem pro Sanguinis sumptione accipiens, respondens quasi interrogationi modo factæ, continuat ejusdem Psalmi versum (CXV, v. 13) : *Calicem salutaris* (id est : Calicem salutis ; vel : Calicem gratiarum actionis pro bono mihi præstito) *accipiam et nomen Domini invocabo* ; et adjungit alterius Psalmi versum (XVII, v. 4) *Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.*

Simili formula, similique ritu sumitur Sanguis, quibus modo Christi Corpus fuit sumptum.

Postea, juxta antiquam disciplinam, et juxta quod optat Synodus Tridentina (Sessio XXII, Caput VI), et notat Missale, atque Rituale Romanum, si qui sint communicandi, eos communicat Sacerdos. — De Communione fidelium intra Missam fuse agitur in Tractatu de administratione Sacramentorum, QQ. 191 ad 199 : de ritu olim servato dicitur ibidem, Q. 190.

VI. *Quod ore sumpsimus, etc.* Hæc Oratio sapit antiquitatem ; quæ in ea petuntur, in postulatione non paucarum Postcommunionum alio dicendi modo exprimuntur. Unica ipsa est ex variis Orationibus quæ ad Communionem præscribuntur, quæ in numero plurali, nomine omnium, dicitur, et supponit Communionem adstantium.

VII. *Corpus tuum, Domine, etc.* Alloquitur Dominum Iesum Sacerdos, in cuius dulcissimo amplexu hæret, et petit ut dona percepta in ipso maneant, et adhaerent quasi visceribus spiritualibus animæ : et simul, ut vas sacramentum cordis sui purum possit servare ab omni macula.

Q. 192. Da rationem Antiphonæ quæ **Communio vocatur.**

R. Interea dum populo Eucharistia distribuebatur, vetustis temporibus, usque ad sæculum circiter XI, cantabatur aliquis Psalmus cum sua Antiphona ante et post, ut tam sacra actio personante Dei laude perficeretur ; cessante vero sensim populi Communione intra

Missam, omissus fuit cantus Psalmi, et sola Antiphona ad Communionem servata fuit, quæ **Communio** vocatur. **Communio** nunc est versiculus, plerumque ex Psalmis, aliquando ex alio Scripturæ Sacræ loco depromptus, interdum etiam pia aliqua sententia Ecclesiastice compositionis, inserviens præcipue ad affectum Communioni congruentem excitandum.

Hodie cantatur a Choro post sumptionem Sanguinis ; a Sacerdote vero legitur postquam omnia quæ ad Communionem pertinent peracta sunt.

Toto tempore Paschali ad versum Communionis unum additur, nisi jam habeatur, *Alleluja*, in omnibus Missis quæ non sunt de *Requiem*.

CAPUT XI

DE POSTCOMMUNIONE, ET DE MISSÆ CONCLUSIONE

Q. 193. *Quid est Postcommunio ? Quo ritu dicuntur Postcommuniones ?*

R. I. Nomen *Postcommunionis* datum fuit Orationibus quæ proxime post peractam totaliter Communionem recitantur, ad Deo gratias agendas, quod tantorum Mysteriorum benigne voluerit nos esse participes, et ad gratias a Deo postulandas, ut nos Sacrificii fructum, et quidquid in nobis sanctificationem operari potest, conservemus.

Vocatur Postcommunio in antiquis codicibus etiam *Complenda*, seu *Oratio ad complendum*, hoc est, Oratio qua res tota finitur ; item *Gratiarum actio* : « *Participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit* », ait S. Augustinus. (Epist. 59, ad Paulinum.)

Ipsas Orationes Postcommunionis pro omnibus communicantibus institutas fuisse, patet ex earum tenore ; quamvis autem mos ille adstantium Communionis in Missa desiit, nihil tamen in his Orationibus mutatum fuit ; sed ideo retentæ sunt, ut sciamus, quid olim factum sit, et ex ipso precationum tenore ad pristinum fervorem excitemur.

II. Celebrans pro Postcommunione primo salutat